338.

Salus per eum qui vera salus est. Quam deplorata valetudine superiorib.
temporibus usus fuerim, Patrone observandissime, deus novit, atque alij
complures qui me iam quasi semimortuum consolandi gratia invise-
runt, cuius rei locuples quoque testis Ioannes Hartlieb Memingen-
sis erit, cui aegritudo mea probe nota est, qui partim praesens videre
fuit, partim ab alijs certior factus est. Morbus primo invadens
erat κατάῤῥους sua salsedine tussim excitans, tussis vehemens
venam in pulmonibus aperuit, aut fortasse omnino disrupit,
inde eruptio sanguinis copiosissima secuta est, adeo ut spatio
quatuordecim dierum duodecim libras sanguinis eructaverim,
vires interea omnes languidae atque prostratae sunt, nec dum eas
recepi. κατάῤῥους ille ex pituita salsa prognatus adhuc non absque
molestia durat, difficultas anhelitus plurimum me sollicitum
reddit, verendum enim ne tandem in ἄσθμα, aut si piscibus
patribus vescendum mihi hac quadragesima erit, ne fortasse omnino
(quod deus avertat) in phthisim transeat. Interim dum mor-
bo hoc periclitarer, usus sum omnibus remedijs, quae deus sua
benignitate miseris mortalibus concessit, nec defuerunt interea
Medici, aderant aut ut plurimum tres, aliquando quatuor, qui me
miserum egregie argento emunxerunt, nullis tamen re vera (ut
libere et ingenue fatear) sumptibus peperci, satius enim duxi,
pecuniae iacturam facere quam corporis, quare te rogo atque
obsecro, cura ut primo quoque tempore 45 coronatos ad me
transferant, quo nomen meum aliquibus datum, dissolvere
possim, indeque me ad Montempessulanum propter studia mea quae
illic commodius absolvere possim, conferam. Lutetiae n. commode
absque sumptibus maximis vivere difficillimum est, unde denuo te
oro atque etiam obtestor, ne patiaris me in hac calamitate ex-
diutius versari, sed potius (quod te facturum confido) primo quoque
tempore hinc me miserum afflictum eximas, si saltem me vivum
atque salvum velitis. Dici namque non potest quam misere excrucier,
cum cogitem me aere alieno oppressum, nec esse in praesentiarum
unde illis satis facere possim. Certe nisi Christus miserum me
subinde consolaretur, qui neminem se invocantem deserere solet,
dubium non esset, si in gravius malum denuo inciderem. Ach
quo tandem perducor? Haec de morbo atque miseria mea suffi-
ciant, hicque finis sit epistolae aegroti, quae et ipsa languere
videtur, nec satis digna ut a tanto viro docto legatur, ignoscas
tamen mihi si quid paulo ac me negligentius scriptum sit,
valetudini afflictae adscribens. Faxit deus Opt. Max. ut
vos diu nobis incolumes conservet, meque valetudini pristinae
restituat. Amen.

15.

Noua si tibi haec videant(ur), accipe. Rex Gallor(um) toto octiduo iam Lutetiae moratur, rumores interea bellici pro veris sparguntur, nec fortasse id temere, nam rex omnes Capitaneos ut Duces Germanicos sibi merentes acciri iubet, plurimiq(ue) iam Lutetiae agunt. Dux Wirtenbergensis iunior iam toto fere mense ~~in~~ aulam regis sequitur. Nauarrae rex regnum ab Imperatore petit, is si reddere nolit, ferro recuperare constituit. Hieronymus Heruisus ubi nam locor(um) agere, cuperem ex te cognoscere. Salutem rogo fratri tuo, nomine meo asscribe, item D. Quicijs vtrisq(ue), nec non et familiae tuae. Vale in Christo in quo nos omnes recte valere velit.
Datae tertio kalendas Februarij. 1542. Lutetiae Parisior(um).

Totus ab opera, co(n)silijs tuis pendens

Ioannes Huldrichus Ehinger.

Clarissimo ac prudentissimo
Viro D. Thomae Blarero
Consuli Constantiensi
vigilantissimo, patrono
suo unice observando.

Ehinger

XXVIII Febr.
M D XLII

Constantiae

respondi 27. Febr.
?? Cal. Martijs